dicitur. Haud secus Perseus Macedoniae rex à Paulo Aemilio victus, vinctusque in carcerem Romae detrusus, somnoque à custodibus, qui hac custodiendi molestia liberari cupiebant, prohibitus ex vigilijs perijt. Non denique si mihi linguae centum sint orisque centum, enumerando satis esse possem, quantum utilitatis, suavitatisque humano generi somnus conferre solet. Expertus potest dicere, expertus potest scire, quid sit bene dormire? Qua de re etiam debiles, et aegrotos, quid ij sentiant, conveniamus. Quid enim obsecro obtestorque vos Audit. human. qui adversae valetudinis iniuria graviter afflicti gratius, quid acceptius, quid exoptatius, nisi vel modica dormiendi facultas? De quo enim magis queruntur aegri, nisi dormire non licuit? Ingredimini, si placet Xenodochium, vel infirmarium, quam lugubre, quam funestumque miseriae theatrum, quam lachrimabile, tristeque spectaculum ~~videt~~ videbitis, videbitis ibi quosdam iacentes, quosdam parietibus se inclinantes

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20358v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20358v)